



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Gvillelmi Postelli De Repvblica

Postel, Guillaume

Lvgdvni Batavorvm, 1635

Cap. XX. De eponymo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

CAP. XX.

De Eponymo.

AB Eponymo τὰ Διονύσια, id est, Bacchanalia, & θαργῆλια, id est, Apollini, & Dianæ sacra, unde θαργηλιῶν mensis Aprilis dictus est, administrari consueverant. Lites τῆς κακώσεως (qua voce primo lites quæ inter virum, & uxorem acciderent, secundo mutuas inter parentes actiones aut liberorum ingratorum erga progenitores, & item plura quæ in tractatu de actionum vocabulis tradere decrevi, significantur) audit, atque iudicat: pœnam τῆς παροινίας, id est, iniuriæ per remulentiam illatæ statuebat. Illius curæ committebantur orphani, ad quos defendendos, tuendosque ἐπίτροποι tutores viros singulari inte-

L 4 gri-

gritate deligere solebat, qui ius
 etiam inter legitimum, & insti-
 tutum hæredem dicere ex officii
 ratione solebant. Hos Græcia
 τῶν ὀρφάνων ἐπιτρόποις, id est, or-
 phanorum tutores, ut ab his ap-
 posita dictione differrent, qui
 χηρῶν ἐπιτρόποις viduarum defen-
 sores dici consueverant, vocare
 solebat. Postremi viduas quæ
 post mariti mortem gravidæ re-
 manserant, diligentius conserva-
 bant, atque posthumis prospicere
 soliti, curabant viduas, pupillos-
 que diario indictionum eximi,
 publicisque contributionibus li-
 berari. Qua in re quam simus
 negligentes, id satis monstrat,
 quod nullus ad id munus magi-
 gistratus peculiaris deligi solet:
 & præclaris interim verbis pieta-
 tem intonamus, in qua exercen-
 da facile non tantum à Muhame-
 dicis, sed & ab ethnicis vincimur.
 ἐπιτρόποις alioqui si sine adiecta
 alia

aliâ voce acceperis, cuius negotio præfectum notabit. Iam supra docui fastorum seriem, rerumque gestarum memoriam ab hoc eponymo magistratu notari scriptis publicis, privatisque solitam: quod verum semper erat, nisi quod in ἀρχαιεργίας, id est, magistratum electione sub anni Principio fieri ad aliquot dies solita ita supputabant, ἐπὶ πρώτης αἰστανείας τῆς δεκάτης ἢ ἐνδεκάτης, primæ prytaniæ decima, aut undecima. Cicero morem Græcorum exprimere libro de fato voluit. Morietur, inquit Epicurus, quum duos, & sexaginta annos natus vixerit Archonte Pythorato. Voluit & genitivum Græcorum in ablativum Latinorum transferre Græco vocabulo. Proprie itaque dicebatur ἀρχων ἡ ἐπώνυμος, id est, Princeps unde res gestæ rationem temporis, nomenque

acciperent. De eponymis statu-
tuis iam ante scripsi. ἀρχὴ ἰπώνυ-
μος nomen erat magistratus il-
lius. Unum nolo omittere, quod
hi ius ciuibus tantum dicerent, in
iisdem vero causis πολέμαρχος
inquinis.

CAP. XXI.

De Rege.

BΑΣΙΑΕ' A regem, sacrifi-
culum interpretatur Livius:
unde possumus confirmare (quod
sæpius exposui) Romanos non
tantum legum exemplum à Græ-
cis expetivisse, sed & Reipub.
imaginē hinc sumpsisse. Quem-
admodum enim hi rege sacrifi-
culo sacra fere omnia administra-
re solebant, ita nomine sacrorum
prima erat Athenis autoritate
Rex. Prima enim muneris di-
gnitas illi erat, quod τὰ ἰλιύσινια,

κ;